plenus est fructuum diversorum. Ara ergo agrum tuum, si vis dirigi ad dei regnum.
Floreat et bonorum seges fecunda meritorum, sit vitis habundans in late-
ribus domus tuae, et novella olivarum mensae tuae. Dicat anima tua Christo
fertilitatis suae iam conscia et seminata dei verbo spiritalibus quoque in altaria cul-
toris: veni frater meus, exeamus in agrum. Ille respondeat: introivi in hortum
meum soror mea sponsa, vindemiavi myrram meam. Quae enim melior
quam fidei vindemia, quae resurrectionis fructus recondit, quae perpetuae laetitiae
fonte rigatur? Itaque cum respicere prohibearis, multo magis redire prohi-
beris et tollere tunicam. Comperisti enim quod ei qui tunicam te petierit,
remittere debeas et pallium. Ergo directus ad dei regnum, opes et patrimo-
nium non requiras. Novit et alia scriptura tunicam, de qua nos hortatur apostolus dicens:
ut expoliantes veterem hominem cum actibus eius induti novum. Superioris
tunicam non requiram erroris. Unde et illa ait: Nocte exui me tunicam meam,
quomodo induam eam? Quod non solum renuntiare peccatis, sed memoriam omnem
actus superioris abolere. Denique paulus anteriora obliviscens culpam
exuit, paenitentiam non omisit. Et ideo dominus: memores inquit estote u-
xoris loth. Quae ideo quia respexit retro, perdidit naturae suae munus.

De uxore loth.

Retro enim satanas, retro sodoma. Quapropter fuge intemperantiam, de-
clinato luxuriam. Et ut cognoscas quia non omnis possit fugere in montem,
recordare quia ille qui se a veteribus studiis non reflexit, sodomam enim ante
delegerat, ideo evasit quia pervenit ad montem. Illa quae infirmior fuit,
quoniam ad posteriora respexit, nec mariti adiuta suffragio ad mon-
tem pervenire potuit, sed remansit. **De duobus in uno lecto iacentibus et duabus molentibus.**

In illa nocte erunt duo in le-
cto uno, unus assumetur et alius relinquetur. Bene nocte dixit, quia anti-
christus hora tenebrarum est, eo quod pectoribus hominum tenebras offundat,
cum dicat se Christum esse, exsurgentibus pseudoprophetis qui asserant nunc in
desertis illos degere, ut vago errore opinionis illudant, nunc in
penetralibus, ut qui audierint perculsi nomine potestatis arceantur. Christus
autem sicut fulgur coruscans per universum mundum luminis sui globos